



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Petrus Cnapheus Sev Fvlllo In Thoma VVeigelino,  
Lvtherano Theopaschita Redivivvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1609**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65394)








Th. 5078.

2 P. V, 15.

2 P. V, 15.









PETRVS CNA-  
PHEVS SEV  
FV LLO

*J<sup>N</sup>*

THOMA VVEGELINO, LV-

THERANO THEOPASCHITA

REDIVIVVS

STRENE ET HONORIS

ERGO MISSVS

*AD*

REVERENDVM ADMODVM ET ERV-

DITISSIMVM DOMINVM ANTONIVM

VELSERVM, Cathedralis Ecclesie Fri-  
singenfis Canonicum, &c.

*A*

JACOBO GRETSERO Societatis Iesu.



*Cum gratia & privilegio Casarea Maiest.*

INGOLSTADII,

EX TYPOGRAPHEO ADAMI SARTORII,

ANNO Domini M. DC. IX.



IN FVLLONEM NO-  
VVM, ÆQVE TAMEN, AC  
VETEREM ILLVM, IMPIVM,  
ATQVE IMPROBVM.



*P*ARTAREIS sese pridem PETRVS im-  
pius umbris

FVLLOVetus scelerum cōscius ab-  
diderat.

Quippe horrent ipsi tam noxia dogmata ma-  
nes,

Auctorisq; athēi dira venena tremunt.

Lingua illa patitur frigusq;, ignesq; perennes:

Qua vomuit, TRIADEM sustinuisse crucem.

Complures sinxitq; DEOS. Tam degener error

Occupat infandum, noxq; profana, caput.

Ne furor intereat vetus hic. VVLCANVS ALASTOR

Vnum de colubris, quis furit ille, rapit:

FVLLONISQVE novi cerebrosum pectus obarmat.

Hinc eadem sapit hic, qua vetus ille Cnaphēus.

Imò serit pestem praco per pulpita rictu

Spurcidico. PIETAS at bona prestat opem.

E doctis dictisq; PATRYM, SYNODISQVE ma-  
lignum

VIRVS agit longè protinus in Barathrum.



ADMO.





ADMODVM  
REVERENDO, NO-  
BILI ET CLARISSIMO DOMINO  
ANTONIO VELSERO, SS. THEOLO-  
GIAE DOCTORI, CATHEDRALIS ECCLE-  
SIAE Frisingensis Canonico, Præposito  
Spaltenfi, &c.

JACOBVS GRETSERVS;  
MVLTOE EOS QVE FORTVNA-  
TOS annos.

**A**DSUNT Kalende Ianuarie,  
Admodum Reuerende, nobi-  
lis, & Magnifice Domine. *Bo-*  
*na verba dicere, & munera dare*  
*oportet, quia mos antiquus ita iubet: & Prin-*  
*cipio omen inest. Prius illud forsan non adeo*  
*difficile est, etiam tenuioris fortune hominibus,*  
*qui, ut piscatores illi apud Theocritum, dor-*  
*miunt, ὑπὸ πλεκταῖς καλυθαῖσι, σεωσάμενοι βεγύ-*  
*ον αὔον, κεκλιμένοι τῷ φυλλίνῳ; quorum*

A 2 tota



tota supellex τὴ καλαδίσκοι, τὴ καλαμοὶ, τῶν κί-  
 σεα, τὰ φυκίοντα τε λῆδα, ὄρμεια, κύβητοι, καὶ ἄλλοι  
 χοίρων λαβύενθοι. *Quid enim proclivius, quam,*  
*si domi bene nominatis non abundes dictis: ex*  
*Homero vel Callimacho preces mutuari; πάν-*  
*τα θεοῖσιν ὀλβία δοῖεν. δῶτε ἑάων, δῶτε ἀπη-*  
*μονίης ἐδίδοξ' ἢ δρετήντ' ἀφένος τε. ἢ δ' ἄρεθης ἄ-*  
*τερ ὄλβος ἴπιστα ἀνδρας ἀέξω.*

*Munus dare magis arduum est illis,*  
*quibus, ut mihi, penia est ἐταίρα. Reperit amē*  
*non penitus ἀποβλητέον γέρας, quod tibi strenua*  
*loco offerrem. Quid illud? κναφὸς seu Fullo,*  
*Hunc tibi dono. Quid hominis, inquires, hic*  
*Fullo? Qui genus, unde domo? Eutychianus*  
*est, vel potius portentum quoddam ex variis*  
*monstris consutum. Et nisi Petrus Cnaphæus*  
*seu Fullo, (cuius laudes Ecclesiastica historia*  
*loquitur, & loquetur in omne ævum) eò inisset,*  
*unde negant redire quenquam: suspicarer*  
*esse ipsum Petrum Fullonem sub Thomæ VVe-*  
*gelini nomine & sipario delitescentem: vel sal-*  
*tem, si Pythagoricam μετεμψύχωσιν nō explo-*  
*deret veritas; crederem, animam Fullonis ex*  
*asse,*



asse, cum omnibus suis facultatibus in istum  
 Ubiquistam immigrasse; neque enim Euphor-  
 bus in Samiosene, nec Iovinianus in Vigilan-  
 tio, iudice Hieronymo, tam reuixisse videtur,  
 quam Cnaphens in VVegetino.

Illud mihi certum & exploratum est, no-  
 uitium hunc Thomam Fullonem, apposuisse  
 Hymno Trisagio impiam illam  $\omega\epsilon\theta\sigma$   $\text{D}\eta\chi\eta\nu$ :

QVI CRUCIFIXVS ES PRO NOBIS:  
 eius Alastoris instinctu, quo olim Petrus Fullo  
 percitus, eandem ad idem sacratissimum oda-  
 rium adiecerat, omnibus orthodoxis elata vo-  
 ce, reclamantibus; & sacrilegam istam teme-  
 ritatem, ceu omnis impietatis &  $\alpha\delta\epsilon\omicron\mu\tau$  &  
 originem, detestantibus. Antiquis temporibus  
 Fullones in precio erant, & candefaciebant,  
 & emaculabant vestes nitidissime & tersissi-  
 me; ita ut & sacra littera herbam Fullonum  
 celebrent; Et Spiritus sanctus summum splen-  
 dorem indumentorum Christi in Monte Tha-  
 borio explicare volens, dicat; Vestimenta ei-  
 us facta sunt splendentia, & candida nimis  
 velut nix, qualia Fullo non potest super ter-

Malach. 3.  
 Marci. 9.



ram, candida facere. Quam his dissimiles duo nostri Fullones; quibus hoc unicum cura & cordi, ut denigrent, & quidem Christum, Redemptorem nostrum; ipsumque celsissimum sacrosanctæ Trinitatis mysterium. Aesopicus Fullo ad commune cum carbonario contubernium inuitatus; renuit, ἀέδια γὰρ, αἶεβας, μή πως, ἀπερὲ γὼ λουκάνω, αὐτὸς ἀσβόλης πλῆγοῖς. Metuo, ne quæ ego dealbo, tu fuligine repleas. Nostris Fullonibus causæ nihil est, cur non vel in media Carbonariâ Fulloniam excitent & factitent; cum tota eorum ars in nigrore inducendo versetur ac consumatur.

At quid ago? Verbis munus ornandum erat ut gratius accideret; & en vitia numero. Ego, mi Velsere, de tua in me benevolentia, tantum mihi polliceor, ut sperem, donum, quantumvis multis vitiis infectum, à me tibi oblatum, gratum acceptumque fore. Nectamen omnia novi Fullonis παρὰ δὲ γήματα recensui, sed hoc tantum, quod Cnapei seu Fullonis, nomen exhibet: Quid si inscitiam & imperitiam



ritiam huius noui Fullonis, qua Disputatio-  
nem suam de Christo insigniter illustrauit,  
tibi denarrare ingrederer? Vix ullus finis fo-  
ret. Feci id in Defensione Controuersie Bel-  
larminiana de Christo. Quid si maledicen-  
tiam eius ob oculos ponerem, qua grassatur  
in illustrissimum Cardinalem Bellarminum,  
ἔτε κλέσθ' ἔρανον ἦκε. Nam quòd immaniter  
seuit in Gretserum, qui primo Tomo Apo-  
logie Bellarminiana ausus fuit Fullonis nu-  
gacissimas de scriptura Theses tangere; quid  
mirum?

Ἄμμεσθ' ἔδ' ἐ λόγῳ πινὸς ἀξιοί, ἔτ' ἄριθμητοί,  
Δυσάνοι μεγαρῆες, ἀπμοτάτη ἐνὶ μοίρα.  
His si adicerem alia πονηρέυματα, quibus  
Fullo iste deformis est, sat scio, fraudi mihi  
meaq; strenua hac res non foret; sin minus, è ve-  
stigio cum illo quarerem:

Ἄρα ἕς ἑξαπίνας σε θεὸς βροτὸν ἄλλον  
ἔτ' ἄξε;

Ergo, optime & eruditissime, Velfere  
hunc nouum Fullonem tibi δωρήσομαι, ἕνεκεν  
ἑοσι

Πᾶν



6 EPISTOLA DEDICATORIA,

Πᾶν ἐπ' ἀλαθείᾳ πεπλασμένον ἐν διὸς ἕνεος.  
Nec postulo, ut in locupletissima tua Græcis-  
que ac Latinis, aliarumque linguarum libris  
instructissima Bibliotheca stationem aliquam  
eminentiorem adipiscatur. Illam inueniat  
Et teneat, quæ tali Fullone digna.  
Si non est, ubi sedeat, erit ubi  
stet. Vale.

Ingolstadij Kalendis Ianuariis MDCIX.



S. I. QVIS





S. J. QVIS HYMNVS  
TER SANCTVS SEV  
ΤΡΙΣΑΓΙΟΣ.

**A**ΓΙΟΣ ὁ θεός, ἄγιος ἰσχυρός, ἄγιος ἀθάνατος  
ἐλέησον ἡμᾶς. Sanctus Deus, sanctus fortis,  
sanctus immortalis, miserere nobis.  
*Damasc. lib. 3. orthod. fidei cap. 10. Et in  
epistola seu libro de Trisagio, & alij patres  
& Historici Græci; nam Græcis hic hymnus est celeberrimus  
& decantatissimus, ut docent Menæa, & id genus alij Græco-  
rum libri Rituales. Nec Latinis ignotus aut inusitatus est:  
Nam die Parasceues, dum crux adoratur, Græcè & Latinè  
concinitur, ut videre est in libro, qui inscribitur; Sacerdo-  
tale, ad consuetudinem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ:  
Et in Missali Romano. Recitatur etiam in Breuiario in pre-  
cibus ad Primam diebus Quadragesima, Aduentus & Ieiun-  
niorum.*

Dicitur τριῶς, Græcè; quòd vocabulum ἄγιος ter; &  
Ter sanctus Latinè; quòd dictio sanctus ter iidem in eo po-  
natur. Neque interiici debet coniunctio copulans, in-  
quit Clitoveus in cap. 10. lib. 4. Damasceni de fide orthodoxa,  
inter nomen S AN CTVS, tertio loco positum, & I M-  
MORTALIS, proximè subiunctum nomen, ut pleri-  
que Latinorum legunt, dicentes; sanctus & immorta-  
lis, miserere nobis : tum quòd in Græco cantico non

B                    habea-



habeatur eo loco nota copulationis, tum quòd in duabus præcedentibus denominationibus, inter nomen sanctitatis & peculiarem denominationem; DEVS & FORTIS, nō interferatur huiusmodi connexionis particula: sed, sine intermedia copula dicatur; SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS.

§. 2. *Origo Trisagij.*

*Hanc tradit Damascenus lib. 4. cap. 10.* Narrant ij, qui Ecclesiasticam historiam literarum monumentis prodiderunt, cū plebs Constantinopolitana ob minas quasdam Proclo Archiepiscopatum obtinente, diuinitus intentatas, supplex Deo preces adhiberet, puerum quendam è plebe in sublimè raptum fuisse, atque angelis quibusdam magistris ter sanctum hunc hymnum didicisse, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis. Cūmq; ad se rediisset, atq; id, quod didicerat, retulisset, multitudinem vniuersam hunc hymnum cecinisse, atque hoc pacto impendens periculum conquieuisse. Quin in sancto, & magno, ac vniuersali VI. illo Concilio, quod Chalcedone coactum est, ita cantatus fuisse hic hymnus traditur. Sic enim inter huiusce S. Concilij acta refertur.

*Fusus hac ex antiquorum monumentis tradit Nicephorus lib. 14. cap. 46. qui, postquam explicarat, quantas strages terramotus ille passim ediderit: subiungit sequentia.* Byzantini in maximum coniecti metum, à ruinis ædificiorum sibi timentes, muros reliquerunt, & extra urbem in Campo; qui dicitur, morati sunt vnâ cum Imp. Theodosio, & Patriarcha Proclo continuis precibus incumbentes, Deumque, vt propicius eis esset, & ab  
immi-



Imminenti calamitate orbem liberaret, obtestantes. Et cum aliquando, motu eo grassante, terra veluti fluctuans cōcuteretur, & homines per metum eam ex fundamentis ipsis extirpatum iri vererentur, & omnes Litanis, & supplicationibus dediti collacrymarent, & ex profundo, intimoque animo misericordiam diuinam implorarent: tum, miraculum, præter opinionem omnium, quod sensum, & mentem omnem excedat, subsecutum est. Subitò namque è medio, spectantibus omnibus, diuina quadam vi, puer in aërem sublimis ad cælestem vsque tractum, ita vt iam non appareret, sublatus, diuinam vocem, quâ Angelis Deum laudibus ferre mos est, audiuit: eaque voce percepta, rursus priore puer per aërem via reuersus descendit: & Episcopo Proclo, ipsique Imperatori, & multitudini omni supplicationibus operam danti, Deumque hymnis celebranti, ab Angelis canentibus se verba hæc audisse, renunciauit; **SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS, SANCTVS IMMORTALIS, MISERERE NOBIS.** Quæ, vbi Proclus intellexit, statim ad eum modum populum psallere iussit: & terræ motus statim etiam constitit, omninoque conquieuit. Imperator verò Theodosius, & in fœminis admiratione omnium digna Pulcheria, tanto miraculo perculsi, constitutione imperiali, confestim, vt per orbem omnem hymnus diuinus iste concineretur, decreuerunt. Et ex eo tempore, Ecclesia Christi eum acceptum, non quolibet tantum die vsurpat, sed etiam, vt simpliciter dicam, cuiuslibet carminis, & laudis Dei initio ante omnia pleno ore præmittit. Puer verborum eorum mysterium executus, statim vita defunctus est, & in magna Ecclesia, quæ Pacis nomen obtinet, conditus.



*Acciderunt miranda hæc secundum chronologiam Baronij Anno Christi CCCCXLVI. Theodosij Iunioris Anno XXXIX. quamvis Cedrenus & Paulus Diaconus ad Annum XXX. Imperij Theodosij referant: alij ad Annum XXXVII. Idem traditur in Menologio Græcorum 25. die Septembris, quo die Græci Anniuersariam memoriam agunt orbis ab hoc terramotu liberati & pueri in sublime sublatis, & Trisagij è celo missi. Idem plurimi alij Græcorum & Latinorum scriptum reliquerunt. Quamvis quorundam narratio indicare videtur, Trisagium fuisse hoc terramotu vetustiore, & puerum è sublimi reducem non ipsum Trisagium attulisse, sed tantum monuisse; ne caneretur cum impia illa Theopaschitarum appendice; Qui crucifixus es pro nobis, ut postea liquebit, quando nonnullorum verba verbatim exscribimus.*

### §. 3. Sensus Trisagij

**SANCTVS DEVS,** refertur ad Patrem. **SANCTVS FORTIS** ad filium. **SANCTVS IMMORTALIS,** ad Spiritum sanctum, ut explicat Damascenus in libro de Trisagio, contra Anastasium Abbatem Monasterij S. Euthymij, qui Trisagium ad solum filium referebat magno Damasceni gemitu, qui sub finem libri ista: Rogetur illustris pater noster ac Dominus, Abbas Anastasius, pij Monasterij, diuini Patris nostri Euthymij Antistes, ut eiusmodi contentioni finem imponat, ac nobiscum diuino afflatu correptorum patrum vestigiis hærens; **SANCTVS DEVS** ac Pater, dicat; **SANCTVS FORTIS,** Filius Dei incarnatus, & carne, nostræ salutis causa, cruci affixus; **SANCTVS IMMORTALIS,** Spiritus sanctus, vnus Dominus Sabaoth, miserere nobis.

Idem



*Idem Damascenus lib. 3. de fide cap. 10* Nos illud; S A N-  
CTVS DEVS, de Patre accipimus: non, quod ipsi soli  
diuinitatis nomē assignemus. Nam, & Filium DEVM,  
& Spiritum sanctum agnoscimus. Itidem illud; sanctus  
fortis, Filio tribuimus: non quod Patrem, & Spiritum  
sanctum robore spoliemus. Ac denique illud, sanctus  
immortalis, Spiritui sancto adscribimus: non quod hac  
ratione Patrem, & Filium ab immortalitate excluda-  
mus, sed, quod in vnaquaque persona omnia diuinita-  
tis vocabula simpliciter, & absolutè sumamus, &c.

*S. 4. Additio Petri Cnaphei seu Fullonis  
ad Trisagium.*

*Nicephorus lib. 15. cap. 28*, Petrus Cnapheus seu Fullo  
tumultus Antiochiæ non minimos excitauit, res ple-  
rasque apud plebem per confusionē miscens, & insolita  
quædam aduersus fidem inducens; quodq; maximum  
est, omneseos, qui Deum crucifixum, & passum esse  
non crederent, anathematis fulmine iaciens Atq; , vbi  
opinionem suam confirmauit, ter sancto illi hymno ac-  
cessionem istam, *qui crucifixus es pro nobis*, tandem adie-  
cit. Quæ verba ad hunc vsque diem apud Theopatchi-  
tas obtinent. Quibusdam etiam hominibus ex Apolli-  
naris partibus sibi ascitis, multa aduersus Martyrium  
Episcopum molitus est, & populum per varia disidia  
in partes plures diduxit *Et postquam Nicephorus exposuit;*  
*quomodo Martyrius legitimus Episcopus Episcopatu Antio-*  
*cheno cesserit; hæc subiungit.* Hæc vbi ille (*Martyrius*) di-  
xit & secessit, Cnapheus in Antiochenum thronum  
insiliit, Chalcedonensem synodum plurimum prosci-  
dit, atque omnes accessionem illam ter sancti hymni  
vsurpare coëgit.

B ; *Idem*



*Idem Nicephorus lib. 18. cap. 51.* Primus Theopascitarum parens fuit Petrus ille cognomento Cnapeus, qui ter sancto hymno, quemadmodum à me supra dictum est, appendicem impiè adicere est ausus, Ter sanctum porro carmen id, vt apparet, & mihi videtur, iam inde ab Apostolis, etiam ante Theodosij iunioris, & Procli Patriarchæ tempora, per manus Ecclesiæ Christi traditum est: sicuti & cantilena illa, Lux hilaris; pro eo, arque ad Amphiloichium, in triginta capitulis celebris, & magnus testatur Basilius: sicuti, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, à Flauiano Antiocheno, adiuuante Chrysofomo, est inuentum. Sub Theodosio sanè iuniore, Proclo Patriarcham gerente, cum quidam eo tempore per persionē diuinitati ipsius vnigeniti asfingere contenderent, & ingentium terræ motuū gratia publicè à populo omni supplicationes fierent, repente in conspectu omnium puer in aërem (quemadmodum in XIV. Tomi XLVI. capite dilucidè diximus) raptus, auribus ipse suis, ita etiam simpliciter, ter sanctum eum hymnum absque adiectione, ab angelicis ordinibus concinnè prorsus cantari audiuit. Vnde, Ecclesia omnis hymnum talem ad eundem modū continenter Deo canere consuevit. Sanè quidem, qui carmen hoc primus composuit, *ab angelis mutuatus est: sanctus, sanctus, sanctus.* Quod verò sequitur, à suauissimi concentus lyra, & Psalmo XLI. Dauidis acceptum, venustissimè adiecit, vbi dicitur: sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum. Et hymni ipsius auctor hæc verba: Deus & fortis, integra, neque vlla ex parte mutata. sicuti ea apud Psalmistam inuenit, conseruauit: & dictionē, viuum duntaxat, in eiusdem significationis nomen immor-



Immortalis commutavit. Ille etiam Deo addidit sanctus; nomen id idolis opponens, quæ abominationis omnis plena, & humanæ manus opera sunt. Sicut & fortis posuit, propter simulacrorum imbecillitatem, atque infirmitatem summam, quæ loco se mouere prorsus non possit. Atque itidem Immortalis; ut statuarum truncos traduceret, qui vita carentes, neque spirare possunt, neque sensu, aut mente diriguntur. Verùm enim verò Theopaschitæ, qui à Petro; & Seuero originem duxerunt, admirandum hunc maximè hymnum non diuinæ Trinitati accommodare volentes, sed incarnato Verbo accinere satagentes, accessionibus quibusdam corrumpere ausi sunt, verbis hisce; sanctus Immortalis, clausulam illam; qui crucifixus est pro nobis, malignè adiciētes. Quod malum primus instituere cœpit Petrus Cnapeus, & post eum deinde Seuerus Acephalus, seu potius hydra multiceps.

*Vides ex his, etiam Nicephorum, in ea fuisse sententiã, ut hymnum Trisagium Theodosij Imperio longè antiquiorem, imò ex Apostolica traditione acceptum statueret: Ex cuius, ut & aliorum sensu, dicendum; puerum in sublime subuectum, & postea ad supplicantes remissum, nil aliud mandati attulisse, quàm ut ne caneretur Trisagius hymnus cum assumento Fullonico.*

S. 5. *Quis Petrus Cnapeus seu Fullo, impij additamenti ad Trisagium Architectus.*

*Hoc nobis accuratè exponet Alexander in sermone de S. Barnaba, ut alios fileam; qui similibus elogiis Fullonem cohonestant. In religioso Acœmetarum Monasterio existit*  
mona-



monachus quidam, qui, vt Iudas inter Apostolos, diaboli mores imitabatur: qui Fullonis artem exercebat: sanctam verò, & venerandam synodum in vrbe Chalcedone celebratam auersabatur, & dogmatis Euty-chiani erat propugnator. Huiusmodi hominem & corruptorem, & pestilentem, atque Apostolicorum dogmatum hostem acerrimum, eius loci homines è monasterio expulerunt. Qui, cum expulsus fuisset, Constantinopolim profectus est, & assentatorum vitam imitatus, modò hanc, modò illam domum obibat, ventri, & gulæ inseruiens. Cumque execrabilis suæ hæresis participes quosdam honore præditos inuenisset, illis adherere cœpit, per quos etiam in eius notitiam venit, qui erat gener Imperatoris Patricius, & Excubitorû comes (sic enim appellabatur, qui excubiis præsidebat;) sic Petrus ille cum religionis speciem induisset, erat quidem assiduè cum Zenone Imperatoris genero; non audebat autem propriam impietatem aperire. Cum autem Zenone ad Oriëntis partes proficisceretur, secutus est eum Fullo vsque Antiochiam: Vbi, cum inuenisset multos sectatores Apollinaris, vnà cum illis contra Patriarcham temeritatem exercuit, aduersus eum seditiosissimum quemque hominem concitans, & Chalcedonensem synodum conuicians, & Patriarcham illum Nestorianum appellans. Cum igitur Antiochena ciuitas multa seditione, & tumultu perturbaretur; Petrus ille Comitem Zenonem dolo aggressus; Nisi, inquit, ciuitatis huius Episcopus commutetur, fieri non potest, vt populus quietè viuat. Quin etiam multam auri vim ei proposuit, si ab eo impetraret, quod petebat. Patefecit ei consilium, quod antè occultauit. Tunc infames quosque,  
& impro-



& improbos homines, qui eadem, quæ ipse, sentiebãt, persuasionibus secum duxit, & gravissima quæque scelera contra Patriarcham falsò conficta, ad Imperatorẽ detulit. Sed eius malitia nihil profecit, cùm Imperator Apostolicorum dogmatum esset propugnator.

*§. 6. Quomodo sanctis Patribus placuerit  
hæc Fullonica ad Trisagium  
additio.*

*Id infra clariùs perspiciemus, cum sancti Patres nouo Fulloni nostro promeritos Panegyricos concinent. In presenti sufficiet nobis ex Patribus Damascenus, & ex Historicorum numero Nicephorus. Ille sic scribit lib. 3. cap. 10. Appendicem illam, quam stultus homo Petrus Cnaphæus in ter sancto hymno adiecit, impiã esse statuimus, vt, quæ quartam personam inducat, ac Dei filium, vimque illam Patris verè subsistentem, seorsim collocet, ac seorsim rursus eum, qui cruci affixus est, tanquam videlicet ab illo forti diuersum: aut Trinitatem sanctam passibilem esse asserat, Patremque, ac Spiritum sanctum cum Filio in crucem tollat. Procul sit hæc impia, ac adulterina nugacitas.*

*Idem Damascenus ibid. Quamobrem ridiculum sanè fuerit, illum ab Angelis proditum, & incumbentium malorum depulsione confirmatum, & tot sanctorum Patrum Cõcilio comprobatum, ac prius etiam à Seraphim decantatum ter sanctum hymnum, utpote quod tres deitatis personæ declarentur, Cnaphæi stulta, ac nulla ratione nixa opinione, tanquam scilicet ille Seraphim antecellat, obteri, ac (si superis placet) emendari, O insignem arrogantiam, ne dicam amentiam. Nos*

C verò,



verò, ( distumpantur licet etiam dæmones ) ita dicimus; sanctus Deus, sanctus Fortis, sanctus Immortalis, miserere nobis.

*Nicephorus lib. 18. cap. 51.* Rîsus planè & iocus fuerit, si ab Angelis, & Seraphim ipsis proditum, atque decantatum carmen, atq; à tot sanctis sacræ synodi Patribus comprobatum, & confirmatum, quod vnam in tribus subsistentiis diuinitatem disertè deprædicat, Cnaphi primùm, & Seueri deinde opinione proculcetur, atque eorum ( si superis placet ) arbitrio, perinde atque si Cherubin superarent, corrigatur. Sed enim, qui hoc ita senserunt, Theopaschitæ vocati sunt, autores primarios Cnaphicum Petrum, & Seuerum, quemadmodum dictū est, & deinde Iacobum, habentes.

§. 7. *Quis nouus Cnaphicus seu Fullo, eiusdemque sacrilegum & inexpiabile piaculum.*

*Est is Thomas VVegeelinus, Augustanus,*

Spurcus homo, patria ista indigno locoque, Nonellus Predicans, Pappi Argentoratensis discipulus & parasitus, Lutherana Philosophia Magistellus, supercilij planè Fullonici, hoc est, fastuosissimi; nuper Tubingæ Vbiquitatis Fullonica, & Seueriana, vno verbo, Eutychniana doctor factus; quam lauream Disputatione de Christo prorsus Vbiquistica, Eutychnianistica, & Cnaptica mercatus est: in qua cum nec pauca, nec obscura Fullonici & Cnaptici seu Cnaphici sui animi specimina edidisset; tandem in præfatione ( Que ordine quidem prima est, sed ut arbitror, ortu postrema ) ad Nobiles & Magnificos suos Patronos & Mæcenates Fullonico candore totus, quantus, quantus est, candidatus, in publicum processit. Nam postquam varia ex intimis Eutychnianorum penetra-



*penetralibus deprompta attulisset, in hac deinceps os suum  
Fullonicum resoluit:*

Hoc locō intermittere non possum, quin obiter huc annotem memorabilem quandam historiam, de tanti mysterij axioma, quam Constanti-  
nopoly temporibus Theodosij Imperatoris contigisse narrat Ioh. Zonaras Annal. Tom. 3. verbis sequentibus, ex latina versione huc tralatis: Huius, inquit, Imperatoris temporibus, PROCVLO Patriarcha cū clero, & maxima Vrbanae multitudinis parte supplicantibus; Puer sublimis in aëre tollitur: populo obstupefacto, & longo tempore vociferante, Kyrie eleison, rursus demittitur, ac sibi præceptum esse dicit, vt in Cantico ter sancto adderetur clausula; **QVI CRVCIFIXVS EST PRO NOBIS.**

*Quis Lycus, quis Ister, Quis Nicer seu Neccarus, imo, quis Nilus, imò quis Oceanus hunc Fullonismum eluet & abluet? Hocine dicit Zonaras? Num Græcus, an Latinus? Num uterque? Num Zonaras scribit puero è supernis remisso*



mandatum, ut hymno Trifagio adiceretur illa clausula? QUI  
CRUCIFIXVS ES PRO NOBIS. Audiamus ergo Zo-  
naram Græcè suo, & Latinè Interpretis sui VVolphij ore lo-  
quentem. Ex editione Græcolatina Basileensi, euulgata Anno  
Christi MDLVII, quæ videtur fuisse prima.

§. 8. Verba Zonara. Tom. 3. Annalium in  
Theodosio Iuniorè.

Εν τῆς χρόνοις διέτ' αὐτῆ βασιλείᾳ, πρὸς κλητῆ πατριάρχῃ  
λιτανεύοντ' ἅσιν τῶ κλήρω, καὶ πλείω μέρει τῆ πλῆθους τῆς πό-  
λεως, ἄφνω παιδίον αἵρεται ἐναέριον, τὸ δὲ λαὸς θαμβουμένῃ,  
καὶ ὅτι πλείων βοῶντ' ὅτι, τὸ, κύριε ἐλέησον, αὐτὸς κατὰ γ-  
γῆ, λέγον μνηστῆνα, μὴ δεῖν περὶ τῆσδε τῆ τελευ-  
τῆ, τὸ ὄραρωθεὶς πρὸς ἡμᾶς. Hoc est, Interprete Lutherano  
VVolphio: Huius Imperatoris temporibus, Proclo Pa-  
triarcha cum clero, & maxima urbanæ multitudinis  
parte supplicantibus, puer sublimis in aërem tollitur.  
Populo obstupefacto, & longo tempore vociferante,  
Kyrie eleeson, rursus demittitur, ac sibi præceptum esse  
dicit, NE in cantico Tersancto adderetur clausula; qui  
crucifixus est pro nobis.

§. 9. Crimina à nouo Fullone commissa.

Nunc adeste omnes, & præsertim vos, honoratissimi  
viri, quibus, VVegetinus, rediuius Cnapheus, suam Ful-  
lonicam disputationem dedicauit; & mecum numerate scelera  
& sacrilegia, quibus nouus Fullo sese nefariè obstrinxit; & ve-  
stras aures opplere non horruit.

I. Turpissimum crimen Falsi; Deprauat enim & falsat  
mentem & stylum Græci & Latini Zonara, expuncta nega-  
tione, & substituta affirmatione; nam Græcus Zonaras dicit:  
Puerum reducem dixisse, μὴ δεῖν, Non oportere addere ad  
Trifa-



*Trisagium illud: Qui Crucifixus es pro nobis. Fullo dicit; à Zonara scriptum affirmatè; Puerum dixisse: Oportere addere: Quaeso, quis causidicus, tam disertus & facundus erit, qui VVe gelinum hic à crimine Falsi purgare queat? Sit non modò ter Tullianus, sed & ter Ciceronianus, Aethiopem laubit, si hoc Fullonicum facinus à VVe gelino amoliri velit. Nullius, etiam Pradicantis, etiam ipsius Volcij, defugio tribunalis nullius pertimesco iudicium, dummodo homo sit; sensus, communipraditus. In medio est Gracolatinius Zonaras. Inspiciatur, legatur; cum verbis Fullonica prafationis conferatur. Crimen falsi in me recipiam, si falsi non reus resuscitatus in VVe gelino Cnaphcus. Et quamuis de solo Zonara agatur, ut tamen in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: adiungam Zonara duos vel tres alios, quieandem historiam omnino eisdem propemodum verbis, certè eodem sensu cum Zonara, referunt.*

*Primus sit Theophanes in suo Manuscripto Chronico, quod lucem necdum aspexit. Ὅτι τῆς τῆ ἐς ἀγίοις πρὸς κληρονομίαν μαγόνιασι μεγάλοι ἐν κωνσταντίνῃ πόλει ὅτι δ. μήνας, ὡς φοβηθέντες οἱ βυζάντιοι ἔφυγον ἐξω τῆς πόλεως, ἐν τῷ λεγομένῳ κάμπῳ, καὶ ἤσαν ἐξημεροδόντες ἐν μιᾷ ἐν κυμαινομένης τῆς γῆς, καὶ παντὸς τῆ λαῶν κρᾶζοντες, τὸ κύριε ἐλέησον ἐκτινῶς περὶ ὡραν ἅφνω πάντων ὁρώτων συνέβη ἵππῳ θείας δυνάμεως δρῆναι πνὰ νεανίσκον εἰς τὴν ἀέρα, καὶ ἀκῆσαι, θείας φωνῆς παρεγγυήσης αὐτὸν, ἀναγγεῖλαι τῷ ὀπισκοπῳ, καὶ τῷ λαῷ λιτανῶσαι ἕτως· ἅγιος ὁ θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς. μηδ' ἐν ἑτέρῳ πρὸς πηθέντες, ὁ δὲ ἐν ἀγίοις πρὸς κληρονομίαν ταύτην δεξάμενος τὴν δόξασιν ἐπέτειψεν τῷ λαῷ ψάλλειν ἕτως. καὶ εὐθὺς ἀπέστη ὁ σάσμιος. ἡ δὲ μακαρία πυχλχερία, καὶ ὁ τῆς αὐτῆς ἀδελφὸς Ἰσραηλαδέντες τῷ ἱαύματι ἐθέσπισαν κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκισμένην, τὸν θεῖον τῆς ψάλλεσθαι ὕμνον, καὶ δὲ τότε παρέλαβον πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι καὶ ἐκάσθη ἡμέραν ἄδειν αὐτὸν τῷ θεῷ.*



*Qua verba sic vertit Anastasius Bibliothecarius in Theophanus Latina translatione necdum typis excusa.* Sub hoc sanctæ memoriæ Proclo terræmotus facti sunt magni Constantinopoli per quatuor menses, ita ut timentes Byzantij extra ciuitatem in loco, qui dicitur, Campus, essent perseueranter vnà cum Episcopo ad Deum precibus, & litanis vociferantes. Quadam ergò die, fluctuante terra, & omni plebe attentius exclamante Kyrie, eleison, circa horã tertiã omnibus videntibus cõtigit, à diuina virtute sustolli quendã adolescentulũ in aërem, & audiri diuinã vocem, admonentem eum, Episcopo, ac populo nuntiare, vt litanias sic facerent, & dicerent: sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis: nihil aliud apponentes, Proclus autem hac suscepta sententia præcepit populo psallere sic; & statim terræmotus cessauit. Porro beata Pulcheria super miraculo vnà cum fratre supra modum admirata, sanxit per vniuersum orbem diuinum hunc psallere taliter hymnum, & tunc receperunt omnes Ecclesiæ per singulos dies hunc canere Deo. *Eadem ex Theophane, & Anastasio excrispsit, & sua Historia intexuit Auctor Miscella lib. 14.*

*Cedrenus in compendio Historiarum.* Ἐπὶ ταῦτα σεισμὸν μεγάλου γέγονασιν ἐν κωνσταντινῆ πόλει, ἐν μηνὶ τέσσαρσιν, ὡς ἐφ' ἑθέντος ὁδοῦ ἐν βυζαντίῳ· ἔξω τῆς πόλεως ἐν τῷ λεγομένῳ κάμπῳ διατρέθειν. τὰ γὰρ εἰρημένα πατεράρχῃ μετὰ τῶν κλήρων, καὶ τῶν λαῶν, ταῖς λιταῖς ἐκείσε προσκαρτέρησιν, περὶ ὧσαν τρίτην, ἀφ' ἧς πάντων ἐρώντων ἠρπάγη νεανίας εἰς πᾶν ἀέρα, καὶ ἤκουσε φωνῆς παρεγγυήσεως αὐτῷ, ἀναγγεῖλαι τῷ Ἰησοῦ κριτῶν, καὶ τῶν λαῶν, λιτανύειν ἄνω καὶ λέγειν, ἄγιε ὁ θεός, ἄγιε ἰσχυρός, ἄγιε ἀφείματ' ἐλέησον ἡμᾶς, καὶ Μηδ' ἐν ἑτέρῳ προσπνεύσαι, καὶ εὐχόμενος τὰ πνεύματα τῶν λαῶν, ἔση ὁ σεισμός. ὅθεν ὁ βασιλεὺς



θεοδόσιος, καὶ ἡ μακαρία πελχερία, ὑπεραγαθόντι τῷ θανά-  
ματι, ἐδέσασαν κατὰ πάσαν οἰκωμένην ἔτω ψάλλουσαι τὸν θεῶν  
ῦμνον.

*Quæ hunc in modum Latinè reddidit Lutheranus Xylan-  
der: Proclo Ecclesiæ Antistite, Constantinopolim gra-  
ues terræmotus concusserunt per anni trientem, ad eò,  
vt oppidani, metu periculi, extra urbem in Campo vi-  
xerint. Cùm autem ibi vnà cum Clero, & populo in  
supplicationibus ad Deum perseueraret, subitò adole-  
scens, omnibus cernentibus, in aërem est subreptus: au-  
diuitq; diuinam vocem sibi mandantem, vt Episcopo  
renunciaret, & populo, vt in publicis deprecationibus  
sic orent: sancte Deus, sancte fortis, sancte immortalis,  
miserere nobis: neque aliud quidquam addant. Ita statim  
cantante populo terræmotus desit. Eo miraculo ad-  
modum percussus Theodosius, & Pulcheria, edixerunt  
vt sacra cantio per totum orbem terrarum sic can-  
retur.*

*Menaum Græcicum 25. Septembris cum eandem Hi-  
storiam de puero in altum elato, & postmodum iterum demis-  
so, recensisset, subiicit; Φωνὴ μεγάλη παρεκελεύσατο. ὅτι οἱ τῶν  
δεξιαγγέλων χοροὶ, ἀνθ' τῆς προσθήκης, τῆ, ὁ σωρωθεὶς, τὸν τρι-  
σάγων ῦμνον ἀναπέμψαι τῷ θεῷ, ἅγιος θεός, ἅγιος ἰσχυρός,  
ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς. καὶ εὐθέως τῆς πιαύτης Φω-  
ναὶς ἀπέδωκε τὴν ψυχὴν τῷ θεῷ, καὶ ὁ τῆ σφραγῆ κλόνος ἐπέωσατο.  
Elata voce monebat, ab Archangelorum choris sine  
illo additamento: *Qui crucifixus es pro nobis; concini  
Deo hymnum trisagium: sanctus Deus, sanctus fortis,  
sanctus immortalis. Et simul cum his vocibus reddi-  
dit Deo animam, cessauitque terræ tremor. Hactenus  
Menologium. Idem uno ore & calamo tradunt alij veteres or-  
thodoxi scriptores; nullus enim penitus proferrī poterit, qui  
testetur,**



testetur, puerum illum, diuinitus edoctum, iussisse; ut cum assumpto illo: Qui crucifixus es pro nobis: hymnus ille decantaretur. Et tamen rediuius Fullo hoc asserit, & ut asserendi occasionem habeat; fœdissimo Falsi crimine Zonaram falsificat.

Sed reuertamur iam ad enumerationem scelerum, quæ in vno crimine à Fullonico VVeigelino patrato, continentur;

Nam II. turpissimè mentitur; cum Zonaram id scripsisse comminiscitur, quod ut scriberet, Historico illi fors ne in somno quidem unquam in mentem venit.

III. Turpius adhuc mendaciū est, huius Fullonica impietatis Auctorem esse Deum, quasi puer à Deo edoctus, populum monuerit, ut Trisagio nefariam illam appendicem appenderet.

IV. Mendacium, hoc, quod nouus Fullo refert, esse Historiam.

V. Mendacium. Et quidem memorabilem Historiam.

VI. Mendacium. Esse Historiam de tanti mysterij, hoc est, vniōis duarum in Christo naturarum, axiomate. Non est Historia; sed noui Fullonis audacissimum commentum, quod prisca illius Fullonis impudentiam longissimè superat, neque enim de illo vsquam legimus, eum, licet flagitiosissimus esset, ausum fuisse; miraculum illud pueri pro se interpretari; quasi appendix illa, caelesti suffragio fuerit comprobata. Quædam enim tam manifesta veritatis sunt, ut etiam impy ea suam ad impietatem rapere reformident. Nec Cnaptica hæc fabula ad vniōis hypostatica dignitatem explicandam facit, sed eam funditus euertit.

VII. Mendacium. Id, quod Fullo nouus refert, esse rem gestam fide Historica. Nunquam gesta est, quia nuper primū  
ut impe-



ut imperitè, sic & impiè cõficta est. Nullus Historicus, nec orthodoxus, nec Eutycheianus unquam scripsit, puerum praecepisse, ut hymnus ille concineretur cum Fullonico epimetro. Omnes contrarium prodiderunt. Illud non improbo, quod nuperus Prædicans ait; fabulam abs se procusam; & Zonara velo improbè tectam, commodè huc, hoc est, ad Theses Vbi-  
quisticas de Christo; spectare. Non abnuo. Nil accommodatius Vbiquitati, quàm Eutycheianismus, cuiusmodi est illa Fullonica appendix.

VIII. Scelus novi Fullonis est quaternitas personarum, quam in diuinis illa sua adiectione constituit.

IX. Scelus, quia totam Trinitatem passibilem, & cum Christo crucifixam facit. vtrunque testatur S. Damascenus verbis supra recitatis, sed hic iterum recitandis. Tu noue Fullo, fac aures vacent. Appendicem illam Cnaphei impiam esse statuimus. vt quæ quartam personam inducat; vt quæ Dei filium, vimque illam Patris verè subsistentem, seorsim collocet: ac seorsim rursus eum, qui Cruci affixus est; tanquam videlicet ab Illo FORTI diuisum; aut Trinitatem sanctam passibilem esse asserat, Patremque ac Spiritum sanctum cum Filio in Crucem tollat.

X. Scelus est Manichæismus.

XI. Arianismus.

XII. Marcionismus.

XIII. Apollinarismus.

XIV. Sabellianismus.

XV. Valentinianismus.

XVI. Samosatēnianismus.

XVII. Nestorianismus.

XVIII. Eutycheianismus.

XIX. Fullonismus, &

XX. Denique ipse Satanismus, si non totus, saltem à toto

D non



non longè distans. Quæ omnia paulò post plana testatâg, effici-  
ent sancti Patres & Episcopi, cum nouo Fulloni nostro Ful-  
lonismum panegyricè gratulabuntur.

Extra reliquorum scelerum & mendaciorum censum ac  
ordinem ponatur hoc aterrimum Fullonis rediuiui mendaci-  
um. IN SANCTISSIMO TRISAGIO IN PER-  
PETVVM AB VNIVERSA cœli militia etiam Chri-  
stum crucifixum inde à tempore exaltationis suæ ho-  
norari & magnificari, hoc est, ab Angelis Christo hymnum  
Trisagium accini, cum Fullonico illo additamento: Qui cru-  
cifixus es pro nobis. Et huius sui grandissimi commenti sta-  
biliendi gratia, paulò post Zonaram flagitiosissimè Fullo noster  
corrupit. Dic, oro, nobis Fullo, quando rediisti è cœlo, ut tam  
asseueranter affirmes, Hymnum Trisagium concini Christo  
ab vniuersa cœli militia cum Cnaptica illa appendice? Puer  
ille tempore Procli in sublime raptus, nil simile audiuit; An  
quia caruit tuis auribus, hoc est, Fullonicis? Aiunt itidem san-  
cti Patres hunc hymnũ toti Trinitati decantari. Tu soli Chri-  
sto. Quis tibi crederet?

Nec est, quòd quis obiiciat, in hoc Fullonismo scelera &  
sacrilegia, etiam quasi ἀνὸρ φανὰ, & quæ simul consistere ne-  
queant, includi: nam impij, in circuitu ambulant: Et ex  
promptuario suo errorũ plenissimo & abundantissimo ex hoc  
in illud, cum Psalte dicam, eructant, nec magis de constan-  
tia assertionis suæ solliciti sunt, quàm de connexionis, qui ex  
arena funiculos necit.

Sed dic quæso, amice lector, an non sat scelerum comple-  
ditur unicum illud additamentum ad hymnum Trisagium,  
à VVe gelino, Cnaptheo rediuiuo, post tot secula vbiq; insti-  
tutum? Si hæc tibi non suffecerint, quid sufficiet? Sin-  
gula pluribus aliis facta sunt. At hæc deinceps manifestiora no-  
bis fient; cum prisca & noui Fullonis elogia audiemus. Quares;

Quæ



Qua causa Vbiquistam istum impulerit, ut Trisagio Fullonicam appendicem annecteret: Respondeo; In promptu causa est, quia est Theopaschita: Christum non tantum secundum humanam, sed & secundum diuinam naturam passum cum suo Luthero existimat. Eadem ei additionis causa, qua Petro Cnapheo, de quo, Harmenopulus. οἱ περὶ πέντε τὸν ναφία, τὸ τε παρὶ τὸ προσέησαν τὸ, ὁ σαυρωθεὶς δι' ἡμᾶς, παρὶ τὴν τὴν ἀπαρὴν τὸν τὸν θεοῦ τὸν. Petrus Cnapheus & sectatores eius Trisagio apposuerunt illud: Qui crucifixus es pro nobis: impassibilem Deitatem facientes passibilem.

Hanc suam Fullonicam opinionem, passim prodidit Redinius noster Fullo in suis Thesibus; & res est apud Vbiquistas perquam trita; Christum, seu filium Dei non tantum secundum humanam, sed & secundum diuinam naturam passum, ut fuse ostendi in Defensione Controuersia de Christo. Hic satis erit audire Lutherū, noui Fullonis Magistrum, qui in symposiacis suis colloquiis Titulo de Christo ita Κνάπτα seu Fullonizat. Alle gottesfürchtigen vnd rechtschaffenen Christen / oder die ganz heilige Christliche Kirchen / vnd Gemeine / glaubet an allen Zweifel / daß mā im Kinderglauben spricht / nemblich / daß Jesus Christus / der einige Sohn Gottes / in einem göttlichen wesen / vnd einer Natur / mit dem Vatter / sey wahrhaftiger Mensch / von Marien der Jungfrauen / durch den heiligen Geist empfangen / geboren / gelitten hat / gekreuziget / gestorben / vnd begraben sey / darumb glauben sie / daß nit allein die menschliche Natur / sondern auch die Göttliche Natur / oder der rechte wahre Gott für vns gelitten hat vnd gestorben ist. Hoc est: Omnes pij & veri Christiani, vel tota sancta Christiana Ecclesia & cōmunitas, credunt sine dubio, quod in infantum symbolo pronunciat, nempe, Iesum Christū



esse vnigenitum Dei filium, vnus substantiæ & naturæ cum patre, verum hominem, conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria Virgine; passum, crucifixum, mortuum, sepultum. Quocirca credunt, non solum naturam humanam, sed & naturam diuinam pro nobis passam & mortuam: Vel verum Deum. *Quod Lutherus appendit, vt horribilem illam blasphemiam de natura diuina passa & mortua pro nobis; non nihil temperet. Nam Deum pro nobis passum, crucifixum, mortuum, nemo orthodoxus abnuat: at Deitatem seu diuinam naturam pro nobis passam, crucifixam, mortuam, nullæ aures nisi Cnaptica & Eutychemistica, tolerare queunt.*

*Eiusdem farina sunt illa Lutheri in eodem culinariarum & mensariarum confabulationum loco. Daß aber von der Communication / Mittheilung einer Eigenschaft der Natur gesagt vnd bewiesen ist / (nemlich das geboire werden / r. der göttliche Natur auch zugeeignet / vnd von ihr gesagt wirdt / per communicationem idiomatum,)* Dasselbige soll auch verstanden werden von der Communication / vñ Mittheilung der andern Eigenschaften / als Leyden / Sterben / Begraben werden / r. Wie wol sie eigentlich der menschlichen Natur gebüren / vnd zustehen / doch gibt sie die Göttliche Natur in Christo darunter vnd leydet / r. Quod dictum est & probatum de communicatione vnus proprietatis naturæ, nempe de hac, quæ est nasci; eam tribui naturæ diuinæ, & de ea prædicari; illud similiter de communicatione aliorum idiomatum intelligi debet, cuiusmodi sunt pati, mori, sepeliri, &c. Quamuis enim propriè humanæ naturæ competant; illis tamen nihilominus subiici-



subiicitur natura diuina; & patitur, &c. *Pergit Lutherus: Darumb soll man gewiß glauben / das alles / so der menschliche Natur in Christo eigentlich zusiehet / vnd widersehret / dasselbige würde auch communiciert / zugeeignet / vnd gegeben der göttlichen Natur. Quapropter certò credendum est, omnia illa quæ humanæ naturæ propriè conueniunt & eueniunt, illa etiam communicari, appropriari, & tribui naturæ diuinæ.*

*Præterea cætera, quæ ibidem ore Fullonico Lutherus euomit. Copiosè enim discussa sunt in Controuersia de Christo. Cum ergo isti naturam diuinam, saltem ut in Christo est; & per consequens illam, quæ, in Patre & Spiritu sancto est, (cum sit prorsus vna numero in omnibus tribus personis) passibilem faciant; cause nihil habent, cur ad Trisagium, quod sanctissima Trinitati communiter decantatur, non adiiciant illam clausulam: Qui passus es pro nobis.*

### *§. 10. Excusatio noui Fullonis, sed inutilis.*

*Edidit Iosephus Burdo inter Eusebiana Chronicum quoddam Græcum, in quo sexto Iustiniani senioris Imp. Anno describitur terramotus Constantinopoli in Nouembri factus, Ὡς τε πάσαι τὴν πόλιν συναχθῆναι εἰς τὸν φόρον Κωνσταντίνου, καὶ λιτανύειν, καὶ λέγειν, Ἁγίῳ ὁ θεός, Ἁγίῳ ἰσχυρός, Ἁγίῳ ἀθάνατος, ὁ σωρωθεὶς δι' ἡμᾶς, ἐλέησον ἡμᾶς. καὶ εἰμῆναι πᾶσαι τὴν νύκτα ἀρχιεπισκοπῆς, καὶ εὐχόμενοι. Πρωίας δὲ γενομένης ὁ πᾶς δῆμος τῶν λιτανεύοντων ἐξεβόησεν, Νίκα ἢ τύχη χριστιανῶν. ὁ σωρωθεὶς σώσον ἡμᾶς, καὶ τὴν πόλιν. Vt vniuersa ciuitas in forum Constantinianum concurreret, & sese in preces daret; diceretque: SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS, SANCTVS IMMORTALIS, QVI CRVCIFIXVS ES PRO NOBIS, MISERERE NOBIS, manseruntq; tota nocte insomnes, assidue precati. Exorto diluculo*



uniuersus populus precabundus exclamauit: Vince Fortuna Christianorum. Crucifixe serua nos & urbem nostram. Vbi Catholici Trisagium sic cecinisse videntur; neque enim uniuersa Constantinopolitana ciuitas Eutychianismo infecta erat.

Quid verò hac ad purgandum & excusandum nouum & Lutheranum Fullonem VVe gelinum? An ideo vera erunt, quæ de Zonara per crimen falsi mentitus est, si orthodoxi in illo discrimine Trisagium cum appendice Cnaphei decantarent? At istos non fuisse Catholicos, sed Theopaschitas & Eutychianistas, planum apertumque fit ex acclamatione: Non enim tantum clamant: AVGVSTE IVSTINIANE VINCE: Sed & addiderunt: EXVRE VOLV MEN EDITVM AB EPISCOPIS SYNODI CHALCEDONENSIS. ut habet vetustum exemplar eiusdem chronici, quod asservatur in Bibliotheca inclyta Reipublica Augustana. Omisit hac, ut alia multa, Burdonica editio. An quia ex musilo exemplari adornata est? An quia Burdo, quæ Eutychiani fecerant; studio & amore Fullonismi, Catholicorum specioso nomine fucare studuit? Nam vocem illam: Exure volumen editum ab Episcopis synodi Chalcedonensis, hoc est, in ignem conice Acta concilij Chalcedonensis; nullum probum & Catholicum os unquam emisit: omnibus enim orthodoxis auctoritas Chalcedonensis concilij semper sacrosancta fuit. Eutychianorum, Acephalorum, Fullonistarum, Seuerianorū, & similium fecium fuit ea vox & illud votum de abolenda, ferroque & flammis persequenda Chalcedonensi synodo. Quapropter & additamentum illud. Qui crucifixus es pro nobis: eorundem hereticorum fuit; quorum Constantinopoli ingens erat copia sub Iustiniano; ut Historia illius ætatis testatur. Quorum intuitu, dixit Auctor huius Chronici, quod Siculum seu Alexandrinum nominant; uniuersam ciuitatem fecisse,



fecisse, quod soli Eutychiani & Petri Cnaphei sectatores fecerant. Quam enim Constantinopolitani ciues à Fullonico illo assumpto abhorrent, & omnes, qui eo utebantur, detestantur, docent tragœdia, rixa & pugna sub Anastasio Dicoro Imp. Catholicos inter & Fullonis discipulos excitata, de quibus Theophanes in Chronico, & eius Interpres Anastasius Bibliothecarius. Eodem Anno DI. inquit Anastasius, contra Macedonium imperator agebat, & schismatici cum cōductis turbis in Archangelo Palatij & in magna Ecclesia psallentes in Dominico die Trisagion; addebant in eo, qui crucifixus es propter nos; ita vt orthodoxi ex necessitate cum plagis eos insequerentur.

Sed quia miseri Fullonis nostri animus misereor, efficaciorē pro Fullonismo eius eluendo purgationem instruam. Dic, mi Fullo, nunquam legisti Bibliothecam Photij? Credo sanè tibi tantum otij à Fullonicis laboribus non suppetere; vt vel huic vel aliis erudita nota Auctoris nonnihil studij & opera impendere possis. Succurram ergo tibi & suggeram, qua audisse iuuabit. Ecce Ephramus Episcopus Theopolitanus seu Antiochenus apud Photium Volumine CCXXVIII. dicit; Orientales, hymnum Trisagium Christo Iesu attribuere, & propterea nihil peccare, licet adiiciant: Qui crucifixus es pro nobis. Constantinopolitanos verò & occidentales ad supremum sacratissimumque bonorum omnium fontem consubstantialem Trinitatem, hymnologiam referre; idcirco non pati, vt adiiciatur illa clausula: Qui crucifixus es pro nobis: ne passio Trinitati adscribatur. Respira, Fullo; respira. Resume animam, qua iam iam auolare gestiebat. In vado res est. imò in portu. En Ephramus seu Ephramius in Cnapheio tuo tecum  $\kappa\alpha\tau\alpha\tau\epsilon\tau\alpha$ . Quid vis amplius?

Ne tamen pra calido gaudio emoriaris, bonum factum fecero, si frigidam affudero: Quaro igitur, ex te, an ob hoc

Herma-



*Hermæum, quod, me indice, reperisti, elutum & expiatum sit horribile illud crimen falsi in Zonara deprauando abs te patratum?*

*Secundò quero, an ideo depuratum & purgatum sit impurum illud mendacium; nempe iussu pueri in calo edocti, & è calo delapsi, appendicem illam ad Trisagium adiectam esse, & cum Trisagio decantatam? Num hoc dixit aut scripsit Ephraemus?*

*Tertiò obseruare te, Fullo, velim, qua occasione Ephraemus hoc fecerit. Nam Zenobium Scholasticum Emesenum ab Eutychianis castris ad Catholicorum partes adiungere cupiebat. Et quia videbat hoc tunc factu proclinius fore; si Zenobio appendicis illius gratiam faceret; aliquid potius contra communem aliorum sensum excogitare voluit, quàm permittere, ut vagabunda ouicula ad caulas Dominicas non reduceretur. Et hoc est, quod Photius dicit: ἐπιεὺ, ἐπὶ καὶ ἐτέρως περὶ τὰ τρισάγια διήτησεν ὁ ἀνὴρ, τάχα γὰρ πῦα παρήχεν αὐτῷ πρὸς Φανὸν ὁ κληρὸς πιαῦτε διαστᾶν, ὅσα ἔχω νῦν εἰδὲ ἐτέρα γνώμη κελὸν Πι-  
δαίνας ἀδίστακτον. Siue bene, siue aliter vir iste de Trisagio statuerit; & fortasse tempus talia dicendi suppeditabant ei occasionem; in præsentem indiscussum relinquam, nec pro hac, nec pro illa sententia, sententiam indubitata dicam.*

*Quartò, nosse volo nouum Fullonem, hîc etiam locum habere commemorabilem illam Vincentij Lirinensis regulam. Quid si in ipsa vetustate duorum aut trium hominum vel certè ciuitatis vnus, aut etiã prouinciæ alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit, vt paucorum temeritati vel incitiæ, si qua sunt, vniuersaliter antiquitus vniuersalis Ecclesiæ decreta præponat. Quod multò magis curandum, si vnus quispiam duntaxat, tamen si bono sine & animo, aliquid vel scripsit vel admisit, quod  
vni-*



universalis Catholica Ecclesia consuetudini aduersetur : ut hoc, de quo agimus additamentum aduersetur, quemadmodum docent, quae hactenus dicta sunt; magisque docebunt, quae infra ex variis Auctoribus adferemus : quod etiam notauit Photius. Quocirca subdit. "Οτι δὲ πῖς ἀκεφάλαις αἰρετικῶς κακῶς τὴν δοξολογίαν ταύτην ἐκλαμβάνουσιν, μεγάλη γίνεται κατὰ τῆς εὐσεβείας καταδρομή· εἰκότως οἱ ἄλλοι πατέρες ἡμῶν παντῶς περιεῖλον τὸ, *vel forte περιεῖλοντο, μὴ δεῖν προσάπτεν ἐν τῇ τρισαγίῳ δοξολογίᾳ τὸ, ὁ ζωρωθεὶς δι' ἡμᾶς.* CUM VERÒ ACEPHALI HÆRETICI, doxologiam hanc malè interpretantes, inde pietatis doctrinam vehementer insectandi occasionem arripiant; Iure optimo sancti Patres nostri (additamentum illud) penitus resecuerunt; (statueruntq;)

Trisagio addi non debere: Qui Crucifixus es pro nobis. Et huius siue ἀφαιρέσεως, siue περιαιρέσεως ratio è vestigio subiungitur. Τῆς γὰρ τριαδικῆς θεολογίας ὕμνον εἶναι τὸ δοξολόγημα. nam hymnum illum ad Trinitatem (totā scilicet ἑ κενῶς pertinere, ἐπεὶ καὶ ἰ χερουβικὸς ὕμνος ἐν τῇ τριαδικῇ φωνῇ τῆς ἀγιότητος προσερχόμενος, ἀπ' ἀρχῆς τῆς ὑπὲρ πάντων ἀγιότητος καὶ ἀγαθότητος τριᾶδος μελωδῆμα ἐγνωρίζεται. Cum etiam Cherubicus ille hymnus. (sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, &c, quem Seraphini Isaiæ cap. 6. Deo decantant) à triplici sanctitatis voce procedens; ab initio, omnem sanctitatem & bonitatem exsuperantis Trinitatis, canticum habitus fuerit.

Clarum igitur est, ut ab hymno illo Angelico apud Isaiā; sic ἑ ἀ Trisagio sanctos Patres Fullonianū illud assumētū penitus exclusisse; testimonio Photij, apud quē facile mihi persuaderi sino ex margine in contextum irrepisse; vel aliunde assuta esse ista verba: μὴ δεῖν προσάπτεν ἐν τῇ τρισαγίῳ δοξολογίᾳ τὸ, nam sine illis sensus ἑ omnia probe constant, παντῶς περιεῖλον τὸ, ὁ ζωρωθεὶς δι' ἡμᾶς. Notat autē Græci Photij Editor ad Ephra-



my dictum hanc siue notam siue censuram in codice Marguniano adiectam fuisse. σημείωσεν ταῦτα, ἡ γὰρ παρεδέχεται τὰ νῦν, εἰ καὶ ποτε (ὡς ἀγ. & π. Φησι) παρεθεωρῆντο λεγόμενα. Nota hæc. Iam enim non recipiuntur, licet olim (vt sanctus iste dicit) dissimularentur, à pauculis videlicet; qui vel regressis vel regredi volentibus ab Acephalorum secta additionem illam permittendam rebantur, sic tamen vt totum Trisagium ad solum filium referrent.

Notat idem Photij Editor, ad illud dictum Photij p. 404. n. 1. ὅτι ἔχων ὡν, &c. in Cod. Marguniano hanc notam adiectã. Πῶς σοι τὸ εἶρηται ἀγνώτασι; ἡ γὰρ ἐν τῷ τεύλει συνόδου δόξα δάλλεται ἔν τῷ ὁ σωρωθεὶς προσήενται, ἐν κεφαλῇ αὐτῆς πλ. Quomodo hoc dicis sanctissime? Nam synodus Trullana à communione segregat eū, qui illud: **Qui Crucifixus**, Trisagio attexit, cap. 81.

Porro, vt tandem siniam; quàm in ipso Oriente inuisa fuerit Catholicis Fulloniana appendix, ex Damasceno, & Anastasio Sinaita in Hodego, qui in Oriente vixerunt, vt plurimos alios silentio transmittam, satis superque exploratum est: Et Anastasius quidem Ephrami seu Ephramij in Sede Antiochena successor fuit, solo Domino inter utrunq; interiecto vt patet ex Chronologia Nicephori patriarchæ Constantinopolitani.

Nec Cnaphæus noster si à suis deliriis in Prefatione Thesium effusis per noua deliria dissentire nolit; dicere poterit; se, apponendo clausulam illam: **Qui crucifixus es pro nobis; totum Trisagium ad solum filium retulisse:** Quod si hoc occinat: confestim arripiam librū Damasceni de Trisagio (est liber iste ex professo totus contra illos scriptus, qui Trisagium soli filio concinendum existimabant) eoq;, tanquam Fullonis fuste, quo vda vestimēta extorqueri solēt; vt Hieronymi verbis utar, lumbos & latera eius Fulloniana ad satietatem vsque dedolabo.



§. II. Sanctorum Patrum & Episcoporum  
gratulationes & acclamationes ad no-  
uum Fullonem VVege linum.

FELIX Papa III. olim prisco; nunc nouo  
Fulloni *Crucem*, quam adiecit  
ad Trisagium.



ND E tibi tam pessima superbia subrepere  
potuit, vt te ipsis quoque sanctis Angelis in-  
telligentiorem, sapientioremq; putares?  
super his ingemisco, in his plango inimicos  
crucis Christi, quorum finis perditio, & quorum Deus  
venter est, & gloria in confusione ipsorum. Non cogi-  
tasti, quod scandalizare vel vnum solum ex his, qui cre-  
dunt in Dominum nostrum I B S V M Christum, quàm  
gravi cruciatui facit obnoxium? Sed incautè, vt serpens  
Euæ, tu ipse quoq; erroris venena multitudini fideiũ,  
atque auribus infudisti, traditamq; ab Angelis sanctif-  
simam laudationis formam corrupisti, inferens illi;  
qui Crucifixus es pro nobis. Ergone non aduer-  
tisti, quòd Paulum Samosatenum Photinumq;, & Ar-  
temium impietate transcendis, qui duos Dei Filios po-  
fuerunt; vnum quidem ante secula, alterum verò noui-  
ter natum, cum ipse quoque Trinitati inuexeris plura-  
litate, duos Dei Filios dicens, vnum fortem, alterum;  
crucifixum?

Ad hæc, fidelissimum Christi gregem in Manichæi  
opinionem præcipitare contendis, qui Spiritum san-  
ctum asserit crucifixum. Nam, quod post illud; sanctus  
immortalis, quod est Spiritus sanctus, tunc inferis; qui  
pro nobis crucifixus es, miserere nobis: quaternitate-

E 2 que,

*Felix Epist. 3.  
ad Fullonem.*

*Phil. 3.*



*Esaiæ 6.*

que, non trinitatem, populo insinuare videris. Nempe, si ex humana traditione manasset hæc laus; non ita incautè crucem insereres laudi, in qua filij appellatio, fortis scilicet ponitur. Quoniam verò ab Angelis nobis laus ista profluxit, qui ante crucem dicebant: sanctus, sanctus, sanctus: sicut respicere Esaias meruit; post crucem verò cum laude clamabant; sanctus Deus; sanctus fortis, sanctus immortalis.

Denique cum terræmotu Constantinopolis quateretur, populusque in Campo erat, infantulus, toto populo spectante cum Proclo ciuitatis Episcopo, in cælum per vnâ horam raptus est, ibique huiusmodi didicit hymnum. Rursumque descendens, nunciauit, quæ in æthere audierat, dicens de cælo, quasi de multitudine psallentium, huiusmodi laudes insonuisse auribus suis, dictumque sibi, vt eam laudationem populo indicaret. Quam vbi populi inceperant, ciuitatem receperunt, Deoque per huiusmodi laudem propitio facto, ab imminente ira liberati sunt. At tu quàm temerè, vt scripturas diuinas reliquas, ita & Angelorum laudem pervertere præsumpsisti? Quis igitur in huiusmodi non ingemiscat? quis non lamentetur? quis dolor similis inuenietur; sicut dolor Ecclesie Domini, & Saluatoris nostri Christi, &c.

Vide à te populos semel illuminatos, qui bona gustauerunt Dei verba, Dei mandata, Dei prophetias, prædicationes Dei, Apostolicas, Euangelicasque doctrinas abs te peruertere magis, ac doceri, non solum crucifigere Filium Dei, & ostentui habere, verum & contraria sentire scripturis diuinis, & pacta abnegare, quæ accedentes ad sanctum baptismum fecerunt. Nam, cum coram cælestibus virtutibus omnibus, coram Apostolicis, Euangelicisque ordinibus sancti baptismatis tempore pro-

mife-



miserint credere in vnum Deum omnipotentem, nunc illos in tres Deos credere docuisti. Rursum, cum polliciti sint, credere in vnum Dominum IESVM Christū, filium Dei incarnatum, & hominem factum de Spiritu sancto, ex MARIA Virgine; tu, eos doces, ne dicant Dominum IESVM Christum filium Dei crucem perpassum esse, qui Deus est secundum sempiternam, & impassibilem ex Patre generationem; & idem homo secundum eam, qua in nouissimis diebus ex matre prodiit, secundum quam etiam sustinuit passionem; sed vnum Trinitatis mortuum esse, qui est ipsum Dei verbū. Confessi sunt rursus Spiritum sanctum viuificum, & immortalem, dicentes; credere in Spiritum sanctum, Dominum, & viuificantem; & mortalem esse ponis Spiritum sanctū, cum dicis; sanctus immortalis, qui crucifixus es pro nobis. Fuge, obsecro, huiusmodi errorē. Corruisti, noli in ruina persistere. Peccasti; iam peccare noli. Exspectat te sancta Dei Ecclesia, cupit amplecti poenitentem in vanis propositionibus tuis, & secum de Christo diuina prædicantem: neq; negantem ipsius animatam incarnationem, secundum quam etiam passus esse memoratur, clamatque tibi per nos: Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos, &c.

§. 12. *Quintianus Episcopus veteri & nouello Fulloni Crucem, quam Trisagio addidit.*

Multifariam, multisque modis, à veritate deuiasti, Exstat hæc Epist. 51. & seq. Episcop. Tom. 2. Concil. Edit. nupera Biniana. contraria facis herilis mysterij, non sequendo Euangelia, vel Apostolos, vel sanctos Patres. Etenim expositio tua grauem fert contra ipsos nouitatem Catholicæ Ecclesiæ. Et quidem non abieccisti ipsam, nullis Episcopis præmonentibus te (maximè sanctissimo Archiepiscopo Felice) ab ipsa diuertere, & esse rectum, & ortho-



xum, salubris prædicationis sectatorem: sed certè contra, hæresium affectator fuisti, & talentum diuinæ doctrinæ in terram abscondisti, & non potius ipsum supra mensam proiicere censuisti; videlicet sanam doctrinā in cordibus hominum inserere, sed è contra zizania seminasti. Et quis adhuc sustinebit te, peruertentem Christi Euangelium? non prædicando vnum filium, in duabus naturis Dominum nostrū Iesum Christum & hunc crucifixum: sed Deum fortem, & immortalem videlicet, vnam Trinitatis substantiam dicens crucifixam.

*Nec te diu morabor. Accipe breue, sed verum verbum:* Si quis nomen Trifagion, hoc est, ter sanctum dicit propter nos crucifixum, & nō Dominum IESVM Christū filium Dei vnigenitum, damnetur. Si quis post vocem ter sanctam, Deum dicit crucifixum propter nos, & non potius vnum Filium, cui in medio ter sanctę vocis hymnus dicitur, damnetur.

*Hæc tibi scripsi, vt scias,* quod oportet sequi reuelationem sanctissimi Procli Constantinopolitanę Ecclesię Episcopi, quando in Campum cum toto populo eucurrit, fluctuante ipsa ciuitate sub terræ motu, & omnibus fletum emittentibus, repente puerum in aëra leuari à quadam virtute, & huic imponi Trifagium litanæ, & dicere: sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis miserere nobis, & hæc annunciate Episcopo iussus est; sicque per tres horas in tribunali stans, secus pedes ipsius Episcopi, hæc narravit. Et sic postquā litanias fecerunt, stetit terræ motus. Sic ergo & tu litanias fac, & pausabit ira, quæ contra te proferēda est, &c.

*§. 13. Justinus Episcopus Siculus prisco & nouo Fulloni, sanam mentem.*



Tanquam fratrem incito hac monitione, quoniam bonum est Patribus obedire, & detrahere proprias novitates, obedias amicebilitate, charissime, & argumentis non addas Trisagio duos filios: sed, crede Seraphim, Trinitatem similiter glorificando, & non præter hæc adde languescere vana gloria, pessimum sophisma faciundo, crucem in hymno ponens, multisque factus cæcus. Quid ergò oculos rusticorum idiotarum effodis, inculpans impiorum impietates? Quid Manem, & Valentinum, & Eutychen armas ad dicendum, diuinū passibilem, & magis Paulum Samosatenum, & Nestorium, propterea quòd in Trisagio addis quaternitatem? Quia, quocumque te vertas, quod impium est, intellectum pietatis habere non potest, sed plurimarum hæresum formas ostendit, &c.

Cessa igitur ab huiusmodi tua impia præcipitatione; non addas scandalum scandalo, & non eris causa perditionis magis simplicium hominum, ne Præsides nonster Felix, secundum Canones sententiam dicat contra te; & non iuuabit te dicere; Ego vtiliter hoc apposui, crucifixum in Trisagio confiteri. Tolle iniquitatem de vniuerso, ne hoc citò multiplicetur: quoniam impiū, facile susceptibile est; melius autem, non, suscipe ergo tanquam fratris tui admonitionem; exstingue hæreticorum consersionem, & fias pastor ouili, non lupus: & secutus B. Proclum; & ipsius reuelationem, in Campo timoribus existentibus, de prædicatiuè dicas Trisagium ad pausationem iræ, & ne incites adhuc iram FORTIS. si autem non velis tu, fraternitas mea innocens erit, & ego cum ipsis: & qui vnà mecum de his tibi scripserunt, custodiemus nos ipsos à scandalis. Didicisti ab Esaia, *Esaia. 61.* dicere; sanctus, sanctus, sanctus: non, crucifixū, inquit, tibi dicere. sed dicis: Tunc Filius non erat crucifixus, &

pro-



propter hoc non addit tunc, crucifixus. Qui ergo nunc Seraphim in Trisagio addiderunt crucifixum, quod tu dicis? Et, si dicis, non puto. Et si nescis, quomodo non impius es? Etenim & tunc, inquit, Propheta, passiones carnis Verbi, & aperte confitetur Trisagium. Propterea, quomodo & dicis, suscepta fuit synodus Chalcedonensis, & tamen absolute, sicut ipsa tradidit, tu non prædicas Trisagium: sed, inobedis illi, & non timuisti ipsam, dicentem; qui non sapit sic, anathema sit? Salubriter prædica, vel dic, & sanus eris: si autem non; non solus hauries mala.

*§. 14. Acacius Archiepiscopus Constantinopolitanus Fulloni Prisco & nouo, crucem, quam Trisagio & hic & ille adiecit.*

Obstupuit cælum & tremuit terra: Mota sunt autem & fundamenta sanctæ Dei Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, luctus & ploratus apprehendit sacerdotes Christi in his quæ ego, & sancta synodus, hic secundum Dei nutum congregata, audiimus fieri à te, frater. Quæ scriptura docuit, dicere Spiritum sanctum crucifixum esse, aut duos filios dogmatizare, seu Trisagiam hymnologiam deprauare, vel quaternitatem pro Trinitate glorificare, aut Angelis sanctiorem, & sensatum magis te ipsum demonstrare? Nam dicendo, sanctus fortis, & rursus ex altera parte inferendo, qui crucifixus est propter nos; duos filios significas; vnum, fortem, & vnum crucifixum: quando autem rursus dicis, sanctus, immortalis, qui crucifixus est propter nos inueniris inferre crucem sancto Spiritui: De ipso enim dictum est, sanctus immortalis. Et huiuscemodi intellectus, tuæ totius hæreticæ prauitatis propria sunt, imò verò Manichææ furia idololatria est, &c.

Non



Non solùm cherubicum hymnum corrupisti, per quem & nostra ciuitas firmata est, cùm olim moueretur ab interioribus terramotibus, puero infante ad aërea raptò in conspectu totius ciuitatis vsq; ad tertium cælum, quemadmodum diuinus Paulus, ibidem hanc a. Cor. 12. ineffabilem hymnologiam, in qua hora, in Campo multitudo cum lacrymis exclamabant, Domine miscrere; ad Deum simul cum sancto Patre nostro Archiepiscopo huius regalis, & Deo amatæ ciuitatis. At tu multis modis conaris contraria sapere, non soùm sanctarum synodorum, quæ in Nicæa, & quæ in hac regali ciuitate, & quæ in Chalcedone, sed & diuinarum scripturarum, &c.

§. 15. *Antheon Episcopus Arsinoës Fulloni veteri & nouo Crucem Trisagio impie appositam.*

Multum valdè sum angustiatas, super te, quoniam per te magnum oritur scandalum, præcomputante me scandala. Etenim cùm in hoc volo lacrymas cõpescere, prohibeor à tua peruersa excogitata hæresi: quoniam Euangelia à te sauciantur, Actusque, & Apostolus. Visus enim vltra ipsos *Ἰησοῦ Φιλιππίου*, dum non Christum crucifixum purè confiteris, sed Trisagio crucem coadunas, sicut prima tua scripta ad Acacium Cõstantinopolitanæ Urbis pastorem ostendunt. Ex quo autem in impietatem incidisti, opinionem à te iniuste prolatã, differenter peruertis, quatenus iniquiorem, & stabilem ipsam apud omnes confirmes. Neque enim diuinum dicimus passibilem, sicut tu dicis: neque nudum Verbum dicimus crucifixum, sed Christum I E S V M. In Trisagio autem, vbi non est corporis significatio, quem locum crucis appellatio accipiet?

F

Dicis



Dicis enim, sanctus Deus. Et quis nescit, quoniam primus Pater sit secundum ordinem opinationis omnibus consueta, licet non secundum eminentiam diuinæ dignitatis? Postea dicis: sanctus fortis. Et quis nescit secundum Prophetam Esaiam, natum nobis Christum IESVM puerum, cuius principium fuit simul cum ipso, & vocatur, & est, magni consilij Angelus, Deus fortis? si enim crucifixus est, ex infirmitate, infirmum nostrum assumens corpus, hoc passus est. Fortis autem Deus existens, voluntariè ad crucem proprium exhibuit corpus, sicut dicit Propheta: Ipse infirmitates nostras assumpsit. Deus autem & homo, ab omnibus simul confitetur Christus, tu solam fortitudinem Christi, Deitatis dicis; Et percurrens hoc, venisti ad Spiritum sanctum, & confessus fuisti (sicut est verè) immortalem. Quem ergò inferens crucifixum, propter nos, præter Christum, dicis? Nonne ergò manifestus factus es quaternitatem sapere, alium præter fortem Deum, Christum nominans, dum spiritum sanctum crucifixum, fuisse dicis? Et quid magis impium isto factum vnquam fuit?

§. 16. *Faustus Episcopus Apollonidis veteri & nouo Fulloni Crucē Trisagio adiectam.*

Ostendere visum est, non ita te sapere debere, vt Trisagio crucem adiungas, & passioni, & morti impassibile submittas: sed purè, sicut ea, quæ sunt Seraphim, & piè gloriam dicere, Quomodo Christianizant gentes, si nomē Saluatoris non inferatur Christo? Quomodo autem & ipsi Christiani fideles esse possunt, non superponentes cruci nomen Christi? Audientes enim fideles Deum immortalem propter nos crucifixum, dicent scandalum esse, credere in Christum, auertentes, & dicentes; Dij nostri, qui apud Christianos populos adulteri



teri sunt, immortales à nobis appellantur. Et quomodo ipsorum Deus, immortalis existens, mortuus est? Manifestum, quòd falsa est dictio ipsa, si enim mortuus est, non est immortalis. Adhuc neque fortis, sed infirmus mortalitate tentatus. Non isti solùm, sed & Dei cultores, & nobis confideles, dicent: Vtrique isti (Theopaschitæ) Dei passionarij sunt, & non Christiani. Manichæi, & non orthodoxi, quia Trinitatem tenentes non Trinitatem, Eutylianistæ sunt, non rectè sentientes: Nestoriani, non Christianizantes, &c.

Videas charissime, non in finem ducas diffamationem tuam, ne derisus fias, tanquam Deum passibilem, vel quaternitatem asserens, &c.

§. 17. *Pamphilus Episcopus Abydenus veteri  
& nouo Fulloni ὕμναίον.*

Præcedentium nostrorum Coëpiscoporum attendens symbola, non sciuisti non fuisse additam Trinitatē quaternitatem, dum Trisagium diceres in additione crucis? Ipsa enim est draconica, & venenosarum hæresum vox, & porta inferni, & sempiternus ianitor mortis, & Christianorum laqueus, innocentium captio, orthodoxorum anomus, id est, contaminatio, fidelium prolapsus, sapientium titubatio, industriorum scandalum, quibus suspectus fuisti dulcis esse cum tua excæcata expositione, qua agonizas contra Apostolicam diffinitionem, & Euangelia, & trecentorum decem & octo Patrum symbolum, additionem in Trisagio ignorantium intellectuale venenum. Dic mihi ergò, quis Deitatem dicit crucem sustinuisse? Quid Deum verbum nudas à stola? Quid infecabilem tua ignauia, seu umbrositate fecas? Quid veritatem saucias? Quid Nestorio, & Euty-cheti, Christi sectione, foederatus sis, & Samosateno cõ-



discipulus, scindis Christi diuinam substantiam in carne, & cum Valentino eruſtaſti, dicens, (ſicut ille) immortalẽ crucifixum fuiſſe, & diuinam naturam ſerui ſupponens paſſionibus? Quid conticebo, vel loquar? Num Paulianiſtam te acclamabo? Tamen in tuis literis dixiſti, poſt Trinitatem, Chriſtum propter nos crucifixum. Num Manichæum te dicam? Tamen tu tibi ipſi reprehẽſibilis factus fuiſti, Deum, non Chriſtum, dicens crucifixum. Num Neſtorianum te appellabo? Sed approbaſti, poſt Patrem non confiteri laudatum à fidelibus Filium Dei fortem, carne crucifixum. Num Apollinariſtam te dicam? Commiſcuisti enim ſicut ipſe, Deum confundens paſſionibus carnis.

§.18. *Aſclepiades Episcopus Tralliarum veteri  
& nouo Fulloni σωφροειν.*

Tua additio Crucis in Trifagio appoſita, impia blaſphemia eſt, &c. Cum graues terræmotus ciuitatem Conſtantinopolitanam occupaffent, magnus & paruus, diues & pauper, ſeruus & liber, extra ciuitatem in Campo ſedentes, ſimul concurrerunt, frigore, & hyeme ibidem perdi malentes, quã ciuitati ipſi coniungi. Quibus ubi Deus parcere clemẽter dignatus eſt, reuelauit B. Proclo Trifagium acclamare, cum ipſi ad propulſandã iram litanias facerent. Et hoc clarè non vni, vel duobus notum fuit, ſed, toti mundo. Si ergò introduxit Deus in eo dicere crucem, quomodo non reſpicit ad iniuriã ſuam? Dixit enim, dici; ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctis immortalis, miſerere noſtri. Quomodo ergo tu auſus fuiſti apponere crucem, præter Deum, & ſanctos Patres, Patrem confundens Filio, & Spiritui ſancto, in Trifagio vocans crucem, tanquam apud te Pater non eſſet Pater ſolùm, ſed & Filius; & Filius, non eſſet Filius ſolùm



solùm, sed & Spiritus; & Spiritus sanctus non esset Spiritus solùm, sed & Filius. Propter hoc: Si quis apponit in Trisagio crucem præter Filium Dei, anathema sit. Si quis quaternitatem introducit in Trisagio, apponens post Trinitatem Christum crucifixum, anathema sit.

§. 19. *Synodus Quinisexta in Trullo, nouo Fullo* ANATHEMA.

Quoniam in nonnullis locis didicimus in sanctissimo hymno additamenti loco dici post illud, sanctus immortalis, hoc, Qui crucifixus est pro nobis, misere nostri: id autem ab antiquis sanctis Patribus, vt à pietate alienum, ex hoc hymno eiectum, cum scelerato hæretico, qui hanc vocem innouauit, nos quoq; confirmantes ea, quæ à sanctis nostris Patribus prius piè cõstituta sunt, anathematizamus eos, qui post præsens decretum eiusmodi vocem admittunt, vel aliquo alio modo sanctissimo hymno adiungunt. Et si est quidẽ sacerdotalis ordinis qui transgressus est, cum sacerdotali dignitate priuari iubemus: sin autem laicus, vel monachus, segregari.

§. 20. *Theodorus Balsamon VVegetino, Fullo* nouo *χαίρειν κναφικῶς.*

*Balsam. in  
diç. Can.  
Trullan.*

Stolidus ille & maledicus Petrus (Thomas) Fullo in sanctissimo Hymno fecit additamentum, dicens, postquam dictum esset: *sanctus immortalis*: debere dici: *Qui crucifixus es pro nobis; misere nostri*. Quod quidem additamentum Ecclesia non addidit, vt quod quartam personam inducat, & Dei filium, Seruatoris scilicet cõsistentem facultatem, seorsum ponat, & Christum crucifixum tanquam alium esse à forti, & affectionibus esse subiectam Trinitatem opinetur, & Patrem vnà cum

F 3 filio



Filio crucifigat & Spiritum sanctum. Et decreuit quidē sanctissimū hymnum piē dici de sancta Trinitate, quōd per trinam sanctitatem tres supersubstantialis deitatis consistētes personas sancta nobis Seraphim ostendant. Per vnam verō dominationem, vnam diuinæ Trinitatis substantiam, regnumque significant. In Ecclesiastica autem historia inuentum est, quōd cūm populus Constantinopoli supplicaret propter quasdam diuinitus intentatas minas, quæ tempore Procli Archiepiscopi fuēre, ex populo raptum fuisse puerum, & sic ter sanctū hymnum ab angelica aliqua doctrina fuisse institutum, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, misere nostri. Et conuerso rursus puero, cūm quod institutū esset, renunciasset, vniuersam multitudinem hymnum cecinisse, & sic minas cessasse. Porrō autem & in sancta, & vniuersali Chalcedonensi synodo, sic sanctissimum hymnum canendum esse traditum est: sed, cum ne sic quidem multorum, eorumque blasphemorum improbitas ad orthodoxum decretū traducta esset, vt est verisimile, qui in hac synodo conuenerant sancti Patres, iis, quæ à sanctis Patribus, qui Chalcedone conuenerāt, de hoc sanctissimo hymno cōstituta erant, confirmatis anathemati eos subiecerunt, qui post præsentem canonem Fullonis additamentum ter sancto hymno adiungant. Et est quidem sacerdotalis, inquit, Ordinis, qui transgreditur, deponatur: sin autem laicus, vel monachus, segregetur.

§. 21. *Apostrophe ad nouum & Prædicanti-  
cum Fullonem VVege linum.*

*Iam pruden. audio te vociferantem. Ohe iam satis est.  
Enecant me isti sermonibus suis. Morere igitur, quia satius est  
tales Fullones sub terra, quàm supra terram esse. An audisti,  
quid*



quid & hi prisca Ecclesia, aliq. de additione illa tua ad Trisagium sentiant, predicent, & tibi in os faciemq. tuam Cnaphiticam vel, si mauis, Cnaphiticam ingerant? Fac queso te, mi Fullo, ut Mecanates, quibus Disputationē tuam dicasti legant vel ex aliis intelligāt; qua hoc breui syntagmatio in spē gratia tua collegi. Tum primum fidem habebunt tibi studium & industriam tuam in noua Fullonia adornāda predicanti his verbis. Et haec tenus quidem compendiosē me vobis studiū meum probasse arbitror (Cui bono studium Fullonicum probetur?) quod postremis hisce maximē temporibus in indagando & cognoscendo pretioso vnione Christo IESV, vt plurimum distentum erat. Profectō constitit opera fructus. Praclare cognouisti Christum; at nō illum, quem peperit Bethlehemī Virgo Deipara, sed quem ex suo cerebro protulit Eutyches, & post illum Petrus Fullo, qui non est Christus Christianorum, sed Acephalorum, Theopaschitarum, & similiarum monstrorum, quibus ex styge emissis, mundus in errorem mitti solet.

Si dicas, o bone Fullo; te Hymnū Trisagium, nec ad quartam personam, nec ad Trinitatem, sed ad solum Filium referre, ita vt sanctus Deus; sanctus fortis; sanctus immortalis; sit tibi solus & vnus Filius; qui pro nobis crucifixus est: an propterea elues horribile illud crimen Falsi, quo te in corrupendo Zonara sēdissimē commaculasti? Deinde statim tibi sese obuiam feret B. Damascenus integro suo libro de Trisagio; quem contra huius opinationis patronos scripsit; illudq. vel in relutantis auriculas instillabit. Quod si concessum fuerit, nihil erit, quod prohibeat, quin lues illa, quā Cnapheticus malē ac pestiferē inuexit, omnes funditus inficiat & labefaciat.

Accurret quoq. Felix Papa, & haec tibi incinet. Quoniam Epi. 4.  
dilexisti iniquitatem magis loqui quā iustitiam, & dilexisti omnia verba praecipitationis lingua dolosa: propter



pter hoc Deus destruet te in finem, &c. totum hymnū ad  
*Filiū referens*, volēs firmate morbum cancri rodentis,  
 quem innocentibus intulisti, & inde omnis generis he-  
 resium laqueis circum præcipitatus, à veritate exiens,  
 non prædicas Christum pro nobis crucifixum, nec vni-  
 genitum Filiū Dei, qui in medio Patris, & Spiritus san-  
 cti est, piè glorificas. Quid enim isto magis interdictū,  
 Patre à vobis, & S. Spiritu non glorificato? Nam calū-  
 niam Seraphim vos infertis, qui Trinitatem non dicitis  
 glorificandam, sanctus, sanctus, sanctus: sed solū per-  
 sonaliter Filium. Et quæ præcipitatio hæresium ita con-  
 fundit, id est, impudenter egit, sicut vos?

*Verba Faustī  
 Episcopi Epist.  
 ad Fullonem.*

*Non velis itaque, mi Fullo, vocari præceptor, & non  
 secutor doctrinæ Christi: & non innouabis vanæ gloriæ  
 hæresim, & non contaminabis animam tuam, quoniā  
 scis Apostolos non fuisse præceptores in nouitate, sed  
 indagantes solū præceptorem, & legislatorē Christū.*

*Nemo Catholicorum negat, Filium Dei, atq; adeo Deum,  
 pro nobis secundum naturam humanam passum & crucifixū:  
 Tota Quæstio est, nū puer ille è sublimibus oris redux, iusserit  
 Trisagio appendi Fullonicam illam appendicē; Qui crucifixus  
 es pro nobis; & an hoc testetur Zonaras: Item nū orthodoxi  
 patres & scriptores adiectionem illam Fullonis probauerint,  
 aut vllō modo probandā censuerint. Ad tria hæc Iniqua ne-  
 gatiuè respondendum esse: docet totus hic Tractatulus; quem  
 finio, & Fullonem nostrum Rediuuium ad suum Κρα-*

*Φείον, πρὸς τὸ κινῆσαι abire  
 permitto.*


F I N I S.

*Lib. Coll. Soc. Jesu Paderborn. a. 1613.*  
 Cum facultate superiorum.



















1479.

Th  
5078